

*Episcopo Patavien. an. 1573. et in causa Elvensi 1. Dec. an. 1736.* In hac causa s. Congr. censuit, non posse Capitulum limitare jurisdictionem Vicarii Capitularis. 2º. Ita defertur Episcopo ut licet admitti possit appellatio ad tribunal superius contra iudicium examinerum, tamen, posita idoneitate electi cognita per examinatores, visum fuerit non posse appellari a iudicio Episcopi, ceu refert *Fagnanus* com. in c. 14. h. t. n. 53. At aliter tenendum et aliter resolvisse s. Congregationem Conc. refert *Fagnanus cit. loco* ob dispositionem *Const. s. Pii V.* quæ incipit '*In conferendis*' edita XV. Kal. April. 1567. In hac *Const. s. Pontifex* statuit ut si Episcopus minus habilem elegerit, posthabitis magis idoneis, possint magis idonei appellare ad Metropolitanum, vel si eligens est Metropolitanus vel exemptus ad Episcopum viciniorem ceu Sedis Apostolicæ delegatum, vel alias ad ipsam S. Sedem, et provocare novum examen. Hæc vero appellatio facienda est intra decem dies a collatione beneficii parochialis. Inde facta non valet. Insuper ea servatur in devolutivo et non in suspensivo; idest non impedit quominus electus ab Episcopo pendente iudicio appellationis quoadusque non fuerit rejectus possit pareciam administrare. Ita in *Const. 'Cum illud' Bened. XIV. diei 14. Dec. 1742.* In qua insuper decernitur ut examen in scripto fiat, et in gradu appellationis novum non conficiatur examen, sed ad tribunal appellationis transmittantur acta prioris examinis. Quare ex dictis in collatione præbendæ per concursum conceditur appellatio tum a iudicio examinerum, tum a mala prælatione Episcopi.

## TITULUS XV.

## De sacra unctione.

1. Quoniam in ordinatione ad Sacerdotium, et ad Episcopatum, sacra unctione utatur Ecclesia, hinc post titulos præcedentes, in quibus de sacris ministris assumendis sermo est, exhibetur titulus præsens. *Innoc. III. in decretali epistola* missa forsitan Archiepiscopo Irinonitano Primati totius Bulgariae, non autem Bracharensi in Lusitania, prout legitur in Codice communi, quæ a *B. Raymundo* refertur in c. un. h. t. tradit in Episcopis supplendam esse sacram unctionem in capite et in manibus, si in eorundem consecratione hæc duplex unctio omisa fuerit ex consuetudine Ecclesiæ orientalis. Rationem affert, quia hæc unctio de præcepto

divino est, et a catholica Ecclesia ex Apostolorum exemplo servatur. Contra Innocentium maximi ponderis difficultas oritur ex græca liturgia; græca enim Ecclesia ab antiquis etiam temporibus usa non est unctione in consecrandis Episcopis, qui nihilominus semper habiti sunt ceu veri Episcopi. Ut purgetur Innocentius animadvertendum 1º. est, ipsum non dixisse sacram unctionem esse materiam essentialem Consecrationis episcopalis; agnoscit enim Episcopum fuisse consecratum, et solummodo supplendam esse dicit sacram unctionem. Si invalidam reputavisset ordinationem, ex integro ritum renovari jussisset. 2º. Animadvertimus Innocentium secutum fuisse *can. 1. dist. 75. in Decr.*, qui canon tribuitur Anacleto R. P. qui unus ex primis Pontificibus fuit post Petrum. Jamvero hac in re fatemur Innocentium in errorem hystoricum lapsus fuisse. Nam decretum quod nomine Anacleti citat, et desumptum est ex 2ª. epistola eidem Pontifici tributa, spurium est ac supposititium. Illa enim epistola cum aliis duabus quæ Anacleto adscribuntur, inter *merces Isidorianas* rejicienda est, ceu docet *Labbeus* in nota marginali ad primam harum epistolarum. Isidorus namque mercator vel peccator plures canones apocryphos in sua collectione refert, quos appingit uni vel alteri Pontifici; cum eisdem nullo modo tribui possint, et ex unitate styli et verborum usu unum communem insinuant auctorem; quem fuisse ipsum Isidorum eruditi homines arbitrantur. Verum licet fatendum sit Innocentium errore historico fuisse deceptum cum tribuit Anacleto decretalem in *can. 1. dist. 75.* relatam, tamen negandum non est, in Ecclesia Latina reapse antiquissimum esse ritum sacre unctionis in consecratione Episcoporum, ceu refert auctor opusculi *De Operibus Cardinalib. Christi*, quod *S. Cypriano* inscribitur, et inter alios probat *Morinus part. 3. exercit. 6. c. 2.* At nisi rite intelligentur alia verba, quæ præceptum divinum respiciunt, erroris suspicionem in materia doctrinali possunt ingerere. At hæc explicantur, si animadvertatur tum fictum Anacletum, tum Innocentium sese referre ad Vetus Testamentum, scilicet ad præceptum Domini in c. 28. Exod. expressum, quo statuebatur ut summi Sacerdotes sacra unctione in capite et in manibus linirentur. Ex quo intelligitur sub eo tantummodo sensu Innocentium divino præcepto episcopalem unctionem adscripsisse, quia nempe sacra sacerdotalis unctio fuit divina auctoritate penes Hebræos instituta. Quo sub sensu Alexander III. in c. 14. de Decim. docet



decimas sacerdotibus debitas a Domino fuisse institutas, ac proinde prorsus præstandas esse. At cæremoniales ritus Veteris Testamenti fuerant instituti pro Hebræis, non vero pro Ecclesia Christi. Ergo ex verbis Innocentii non sequitur ipsum reputasse sacram unctionem ceu materiam essentialem et de jure divino servandam in Episcoporum consecratione.

2. Quoad ministrum episcopalis consecrationis tradit *Innocentius* eam perficiendam esse a tribus Episcopis. In hac re sensus est *canones 1. et 7. dist. 64. necnon can. 2. dist. 66.* Hanc porro praxim adhibuit Ecclesia ceu usum disciplinarem, et non ad substantiam consecrationis. Quare consecratio ab uno tantum Episcopo facta valida est, quamvis nisi fiat ex indulto apostolico sit illicita. Hanc quæstionem pertractat *Bened. XIV. de Syn. Diac. Lib. 13. c. 13. n. 4. seqq.* ubi refert s. Pium V., Alex. VII. et Clem. XI. indulsisse ut in regionibus in quibus tres Episcopi non possunt facile simul convenire, consecratio Episcopi fieret ab uno tantum Episcopo, qui duos Abbates, vel duas Dignitates, aut saltem duos Presbyteros simplices adsistentes adhiberet.

3. Tandem sermonem instituens *Innoc.* in cit. loco de ministro Confirmationis, docet exemplo Apostolorum solos summos sacerdotes esse ministros hujus sacramenti; qua de re in *c. 4. de Consecr.* agens idem *Innoc.* ait confirmationem administratam a Presbyteris umbram quidem habere, sed non veritatem sacramenti. Hæc porro verba *Innocentii* sunt explicanda juxta sensum *Conc. Trid. in can. 3. sess. 7.* in quo definitur ministros ordinarios sacra Confirmationis esse solos Episcopos. Ex quo etiam eruitur Episcopos esse Presbyteris superiores. At hoc non excludit Presbyteros potestate delegata a Rom. Pontifice conferre posse hoc sacramentum. Et reapse *Bened. XIV.* in *op. de Synod. Lib. 7. c. 7. et 8.* refert pluries datum fuisse delegationem Presbyteris præsertim pro sacris missionibus conferendi sacrum chrisma. Quare sensus *Tridentinorum Patrum* est, ut minister Sacramenti Confirmationis ordinarius sit Episcopus, qui habet potestatem propriam completam et expeditam, et presbyteri habent solum habilitatem ad delegationem habendam a Rom. Pontifice ut conferre possint hoc sacramentum.

4. Objicitur: potestas jurisdictionis delegari potest, non autem potestas ordinis. — Resp. In ipso caractere ordinis presbyteralis inest capacitas et habilitas ad obtinendam delegationem. Ergo

non verificatur proprie dicta delegatio vi cujus quis vice alterius exercet potestatem quam ipse nullo modo haberet. In casu nostro dici potest ordinem presbyteratus habere radicaliter et in actu primo potentiam, carere autem virtute transeundi a potentia ad actum, idest exercendi ipsam potentiam, et hanc virtutem obtineri per delegationem.

Quibus positis optime explicatur *Innocentius* dicens ministros sacramenti Confirmationis esse solos summos sacerdotes idest Episcopos. Conferatur ad rem *Benedictus XIV. loco cit.*

#### TITULUS XVI.

#### De sacramentis non iterandis.

1. Titulus præsertim agit de tribus Sacramentis, Baptismate scilicet, Confirmatione et Ordine, quæ cum ex vi ritus sacri creent in anima qualitatem et dispositionem seu capacitatem permanentem, idest imprimant characterem, iterari non possunt. Quemadmodum definitum est in *decreto unionis* in *Conc. Florentino* et in *can. 9. sess. 7. Conc. Tridentini.*

Præter culpam gravem ex iteratione Baptismi, baptizans et baptizatus contrahunt irregularitatem ad ordines suscipiendos *cap. 2. de Apostat. can. 10. c. 1. q. 7. et can. 118. de Consecr. dist. 4.* An ab ignorantibus hæc irregularitas contrahatur controvertitur. Cum res magni momenti sit, dispensatio est petenda. Ob paritatem rationis videretur pœna irregularitatis urgere etiam reiterantibus confirmationem et Ordinem. Verum ex communiore sententia contrarium tenendum est. Nam irregularitas in casu indueret naturam pœnæ, quæ proinde ex textu expresso desumenda et probanda est; *c. 18. de Sent. Excom. in 6º.*

2. Quid vero si fiat iteratio conditionata? Quoad irregularitatem doctores conveniunt eam non contrahi ex iteratione baptismi sub conditione etiamsi temere id fiat, id est absque prævio prudenti examine utrum baptismus fuerit necne antea collatum. *Cfr. Reiffenst. De Apostatis cit. n. 37.* Quoad vero culpam hæc quæstio ab alia dependet an liceat aliquando sacramenta sub conditione iterare. Si enim licet nulla pœna aderit contra iterantes. Jamvero de baptismo regulam habemus in *c. 2. de baptismo*, quæ applicari poterit etiam Confirmationi et Ordini. Scilicet si pru-



dens dubium occurrat an quis baptizatus fuerit vel non, sub conditionata forma erit baptizandus. Hoc vero prudens dubium vel versatur circa ipsam existentiam facti, an scilicet revera ritus externus positus fuerit; vel circa modum quo factum positum fuit, an scilicet omnia essentialia adhibita fuerint. Porro circa existentiam facti unus testis sufficit, præsertim si se baptismum ministrasse testetur, dummodo nihil occurrat quod illius testimonio fidem detrahat. *Cann. 110. et 112. de Consecr. dist. 4. et cap. Nuper, de Testibus.* Hanc materiam fuse tractat Bened. XIV. *de Syn. L. 7. c. 6.* Quid autem dicendum si aliqua pars ritus omissa fuerit? Si profecto omissa fuerit pars quæ est substantialis, ita ut ea non posita, sacramentum fuerit irritum, nullum dubium est, iterum esse conferendum sacramentum. Quod si vero omissa fuerit aliqua pars ritus, quæ sit solummodo integralis, valet principium propositum ab Innoc. in *c. 1. h. t.*, caute scilicet, implendum est, quod incaute fuerat prætermissum.

3. Hoc posito quomodo explicandum est *c. 3. h. t.* in quo quæstio proponitur an prætermissa manuum impositione in ordinatione Diaconi vel Presbyteri, debeat ordinatio iterari, vel suppleri eadem impositio, et Greg. IX. respondet supplendam esse manuum impositionem. Quidam docent quoad Presbyteratum loqui Gregorium de illa manuum impositione, quæ præcedit traditionem calicis et patenæ, quæque reputatur mera cæremonia accidentaliter ritus. At admitti nequit hæc opinio; nam Pontifex loquitur de ea manuum impositione, quæ æquiparatur manuum impositioni ordinis Diaconatus, quæ certe accidentaliter et simpliciter ecclesiastica non est. Loquitur ergo Pontifex de secunda manuum impositione, qua potestas ligandi et solvendi conceditur, et eam dicit esse supplendam. Et merito quidem ait Gregorius non esse iterandam ordinationem, sed esse supplendam manuum impositionem. Nam Sacerdotium potest considerari veluti duplici potestate constans, et sacra ordinatio veluti duplex. Hinc una collata potestate, nempe collata potestate circa corpus Christi verum, potest alterius potestatis collatio suppleri, si fuerit omissa. Integratur enim Sacramentum cum suppletur manuum impositio, quin iterum conferatur. — Hæc quæ de ordine Presbyteratus diximus, etiam dici debent de omissa manuum impositione quoad Diaconatum. Verum Giraldi *Expos. Juris Pontif. part. 1. sect. 114.* cum Fagnano *ad Cap. 'Cum venisset' De sacr. Unct. nn. 54. et 97.* adnotat, tutius esse si tota

ordinatio saltem sub conditione iteretur, et hanc esse dicit praxim Congregationis.

4. Ex dispositione *c. 1. h. t.* si Episcopus non chrismate, id est oleo cum balsamo, sed oleo tantum fuerit usus per errorem, non est integer ritus confirmationis repetendus, sed solum supplenda est unctio adhibito sacro chrismate. Ex hac responsione Pontificis non est illico putandum, solutam fuisse quæstionem circa materiam essentialem confirmationis, quasi nempe dici posset unctio ex chrismate esse materiam ad summum integram. Nam verba Pontificis possunt intelligi de iteratione ipsius Confirmationis, prætermissis ceteris ritibus peculiaribus, qui iterari non debent. At animadvertit Giraldi *cit. loc. sect. 113.* utique Ecclesiam non condemnasse opinionem eorum qui tenent balsamum non esse materiam essentialem sacramenti Confirmationis, attamen collationem hujus sacramenti esse iterandam sub conditione si fuerit in collatione adhibitum oleum absque balsamo. Et ratio est, quia Patres omnes loquentes de Confirmationis sacramento, mentionem faciunt de balsamo adhibendo cum oleo. Idem eruitur ex omnibus Euchologiis et Ritualibus.

#### TITULUS XVII.

##### De filiis Presbyterorum ordinandis vel non.

1. Quoniam ad ordines et ad beneficia promoveri debent idoneæ et honorabiles personæ, et quædam arceantur ob impedimentum irregularitatis; hinc B. Raymundus subjicit nonnullos titulos qui de irregularitatibus tractant. Cum vero de criminibus et eorum effectibus juridicis agat in Lib. V. in præsentis Lib. I. explicat solummodo irregularitates ex defectu, acturus de iis quæ oriuntur ex delicto in Lib. V.

Irregularitas est 'impedimentum canonicum, quod directe prohibet quominus quis ordines suscipiat, et in ordinibus jam susceptis ministret'. Diximus 'directe'; nam cum beneficia instituta sint in Ecclesia, ut determinentur jura et officia Clericorum; hinc indirecte irregularitas constituit etiam impedimentum quoad beneficiorum assecutionem. Ut rationabilitas hujus impedimenti innotescat præ oculis habenda est natura sacri ministerii. Siquidem officium ministrorum, ceu alias adnotavimus, debet esse in Ecclesia utile et honorabile; hinc ex utroque capite vel alterutro quidam arcentur